

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica IV. post festum epiphan.

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Diabolo resistere, 1. Pet. 5. v. 9. mundum vincere, 1. Joh. 5. v. 4. & tandem vitam æternam consequi valeamus, Joh. 3. v. 16.

Quinimo Deus fidem temporali sæpe benedictione remunerat. ut exempla leprosi & Centurionis Capernaïtici probant, quorum uterque fidei vim sensit, & auxilium desideratum à Christo impetravit. Sic fide Enoch translatus est, ne videret mortem, Gen. 5. v. 29. Fide Noah ultra annum in arca inter bestias servatus est, Gen. 7. v. 1. seqq. Fide vocatus Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit, nesciens, quo iret, Gen. 12. v. 4. Fide Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter ætatis tempus peperit, Gen. 21. v. 7. Fide superavit Jacobus Angelum Jehovah,

Gen. 32. v. 28. Fide Israelitæ transierunt mare rubrum, Exod. 12. v. 22. Vide Heb. 11. v. 1.

Propterea genuinis Christianis incumbit, ut fidem sibi acquirere studeant. Et quia illa venit ex auditu, auditus autem per verbum Dei, Rom. 10. v. 17. sedulo concionibus intersint, quo scintillam fidei resuscitent ne exstinguatur, 2. Tim. 1. v. 26. Sic Deus incrementum dabit, eosque instaurabit, confortabit, roborabit, fundabit, 1. Pet. 5. v. 10. ut militent bonam militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 18. Et tandem finem fidei, salutem animarum reportent, 1. Pet. 1. v. 9.

Concedat id nobis Deus ex gratia, per filium suum Jesum Christum, servatorem nostrum, Amen.

Dominica IV. Post Festum Epiphaniae.

Evangelium Matth. 8. v. 23. --- 27.

EXORDIUM.

Cum Deus justissimus primum mundum diluio perdere vellet, quod multa malitia hominum esset in terra, & Spiritus Sancti correctionem non admitterent, Noë ex instituto divino arca fabricanda erat, trecentorum cubitorum longitudine, in quam intraret, cum suis Ex cunctis quoque animantibus universæ carnis, par in arcam introducere tenebatur, masculini sexus & foeminei, ut hoc ipso genus humanum, & genus cæterorum animalium conservari, & post diluvium propagari posset. Gen. 6. v. 14.

Hæc arca typus Ecclesiæ fuit, ut ipse Apostolus Petrus confitetur, 1. Pet. 3. v. 20.

Quicquid extra arcam erat, five homines five pecora erant, id omne in aqua diluvii suffocabatur, solus Noë remansit, & quæcum eo erant in arca, Gen. 7. v. 23. Sic extra Ecclesiam nulla salus est: Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? inquit Apostolus, 1. Cor. 5. v. 12.

Arca Noë non habebat vela, remiges, aut nauclerum, sed Deus gubernabat, & ducebat eam manu sua, quorsum placebat, Sap. 14. v. 6. Sic Ecclesia non viribus nititur humanis, aut carnalibus: sed Dominus spes ejus, & altissimus refugium ejus, Psal. 91. v. 9. nam vana salus hominis Psal. 60, 13.

K 3

Seq

Sed Dominus novit suos è calamitatibus eripere, 2. Petr. 2. v. 9.

In arca ostium erat, per quod ingressus patebat. Sic etiam Ecclesia ostium suum habet, quod Christus est. Joh. 10. v. 9.

In arca Noë, munda & immunda animalia erant: Sic in Ecclesia boni & mali permixti sunt. Quia enim spes superest, fore, ut nonnulli pœnitentiam agant, & respiciant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ejus voluntatem, 2. Tim. 2. v. 26. Deus benignissimus lolium cum tritico pariter crescere sinit, Matth. 13. v. 30. & demonstrat hoc ipso, divitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis suæ, Rom. 2. v. 4. Non enim delectatur morte morientis, sed ut revertatur & vivat, promissionem quoque solatii plenam adjecit, quod iniquitatem ejus non recordaturus sit, Ezech. 18. v. 22. 23.

In arcam Noë imber decidebat, sed non penetrare poterat, quia Dominus ostium occluserat, Gen. 7. 16. Sic imbres tribulationum non cessant: naviculam tamen Ecclesiæ submergere non possunt. Qui enim custodit Israel, non dormit, Psal. 121. 4. Quanto magis aquæ diluvii crescebant, tanto magis arcam in altum elevabant, ut tandem quindecim cubitis altior fuerit aqua, super montes, quos operuerat, Gen. 7. v. 20. Sic Ecclesia persecutionibus non opprimitur, sed quo plus premittitur, eo altius assurgit, & dilatatur per totum Orbem. In petra enim ædificata, & adeo fundata est, ut portæ inferorum non prævalitura sint adversus eam, Matth. 18. v. 18.

In prælecto Evangelio, alia navigatio nobis describitur, quæ cum Christo & discipuli ejus contigit. Tantus enim motus factus est in illa, ut discipuli animis cade-

rent, & interitum metuerent. Sed primum Christus experrectus est de somno imperavit ventis & mari, ut tranquillitas magna facta sit, & navicula feliciter ad portum appulerit. Quo ipso homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic: quia venti & mare obediunt ei.

Nos ad meditationem Evangelii ipsius pergemus, consideraturi nutu Dei, ex eodem:

- I. Ἀποστολογίαν five *notitiam nostri*.
II. Χριστολογίαν, five *notitiam Christi*.

J. J.

Exegetis.

Quemadmodum Christus caput Ecclesiæ suæ in duplici statu consideratur, quorum primus est: *status exinanitionis*, ubi servi forma apparuit, factus obediens patri suo ad mortem usque crucis, Phil. 2. 7. & alter, *status exaltationis*, ubi ex mortuis resuscitatus, ad dexteram Dei Patris exaltatus est, Eph. 1. v. 21. Sic comparatum quoque est, cum spiritali corpore Christi, quod est Ecclesia, & quævis fidelis anima; ut hic in statu exinanitionis versetur, multis tribulationibus vexata & subiecta, Psal. 34. v. 20. Sed status exaltationis non emanabit, Dominus tempore suo accelerabit, tempestatem sedaturus, nec dabit in æternum fluctuationem justo, Psal. 55. v. 23. Potius dabit ei vincere, & sedere in throno suo, sicut & ipse vicit, & sedet cum patre suo in throno ejus. Apoc. 3. v. 21.

Hoc Christus adumbrare voluit per naviculam in prælecto Evangelio, quæ quidem fluctibus operata, sed mirabiliter conservata, in portum deducta est.

Notitiam nostri hic discere possumus, quando intuemur

I. Ma-

I. *Mavis furorem.* Motus enim magnus factus est in mari, ita, ut navicula operiretur fluctibus.

Si literæ nos inharere, & verba prout jacent, intelligere velimus: arduum sane est, homines inveniri, qui vitam suam fragili adeo ligno committant. Sap. 14. v. 5. Assurgit enim interdum procellæ spiritus, qui fluctus exaltat, ut ascendant usque ad cælos, & descendant usque ad abyssos, ut animæ navigantium in malis tabescant, circumveant, & moveantur sicut ebrius, & omnino sapientia eorum devorata sit, Pl. 107. v. 25.

Quid Jonæ accidit, cum manum Dei effugere, sibi persuaderet? Dominus misit ventum magnum in mare: & facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri &c. Joh. 1 v. 4. 5.

Æque periculosam navigationem Paulus sustinit, ut constat ex Act. 27. v. 20. seqq.

Quantum damni hodierno die in mari per tempestates & procellas navigationibus contingat, sine stupore audiri nequit, ut non abs re Euripides dixerit:

- ¶ Quisquis mare navigat, is aut insanit,
- ¶ Aut mendicis est, aut mori cupit. Ex iis tribus,
- ¶ Non fieri potest, quin unum saltem verum sit.

¶ Et Anacharsis dixit: Qui navigant tantum à morte distant, quanta est navis crassitudo. Vide Sit. 43. v. 26.

Hic te ipsum proba, mi Christiane! utrum Deo tuo gratias unquam egeris, quod ab hoc periculo immunis, in terra victum quarere possis?

In sacris literis quidem honorifica navigationum mentio injicitur. Deus ipse Noæ præscripsit, quomodo arcam fabri-

care debuit, Gen. 6. v. 14. Quæ nihil aliud quam navis fuit, sicut & vocatur, Sap. 14. v. 6.

Salomo, cui Deus bis apparuit, & tanta sapientia ornavit, quanta nemo ante & post eum unquam ornatus est, navigiis quoque usus legitur, misitque servos suos ultra mare in Ophir, unde sumtum aurum, quadringentorum viginti talentorum, 1. Reg. 9. v. 26. Christus Servator ipse, qui tamen super mare, ut in terra ambulare poterat, Matth. 14. v. 25. sæpe navibus in mari vectus cum discipulis, ut præsens quoque Evangelium probat.

Præterea quoque navigiorum non exiguus usus est. Nam juxta Poetam:

Non omnis fert omnia tellus.

Sed quod uni forte deest, ab altero mutare potest. Hoc beneficio navigationum perficitur, quas cupiditas acquirendi excogitavit. Sap. 14. v. 2.

Interea tamen eorum, qui periculo hoc navigationis non indigent, est, ut Deo gratias agant, quod victum & amictum, in terra acquirere possint. Etsi enim omnibus hominibus moriendum, idque vario mortis genere; & multi in aquis pereant, qui nunquam navim viderunt, multo minus tantam tempestatem experti sunt, ut hic describitur: attamen periculosissimum est, navibus trans mare currere, & sic victum indagare. Nihil enim ibi conspicitur, quam cælum & aqua, & si violentia tempestatis navis frangitur, aut submergitur, tum omnibus, qui in ea sunt, pereundum, sive in aqua suffocentur, sive à balanis deglutiantur: in quanto propterea terrore & consternatione miseris sententur, facile conjecturare licet.

Multo itaque feliciores illi habendi sunt, qui

qui aut in Museo, aut in officina, aut in agro victum parare possunt. Sic enim vivunt vitam tranquillam, morte quietam discedere, & à morte, honesta sepultura terræ mandari possunt, quam pii Veteres pro præcipua parte terrenæ felicitatis habuerunt. Vide Tob. 4. v. 3. 5.

His rationibus motus, nemo temere navi se credat, si vocatione justa destituitur, aut eo super sedere potest. Non enim Deus tentandus est, Deut. 6. v. 16. Qui vero amat periculum, in illo peribit. Sir. 3. v. 27.

II. *Christi soporem.* Ubi enim mare sævire cepit ventis, & fluctus cum violentia in navem irrumpunt, ut præsentem omnia mortem intendent: ecce! interea Dominus somno indulget, quasi nihil ad se attineret; ideo discipuli ipsum excitant, dicentes: Domine, serva nos, perimus, aut ut Lucas exprimit: Præceptor perimus.

Ah Christiani! quam sæpe accidit, ut navicula Ecclesiæ, ventorum truculentia invadatur, quassetur, & tantum non opprimatur, tanquam navicula misera, tempestate convulsa, Esa. 54. v. 11. Quam sæpe contingit, ut alicui Christianorum aquæ usque ad animam pertingant, Psalm. 69. v. 2. & Deus omnes fluctus suos super eum inducat, Psalm. 88. v. 7. Christus vero se gerat, ac si patrum curet, & dormiat, ut causa sit, ad ipsum clamandi: Exsurge! quare obdormis Domine? Psalm. 44. v. 23. aut cum discipulis, in Evangelio: Domine, serva nos, perimus. Quod si vero Christus non statim audiat, & cum auxilio appropere, multi inveniuntur, qui præ impatientia aliorum se vertunt, & cum Turno ap. Virgilium dicunt:

Vos ô mihi manes,

Est et boni, quoniam superis aversa voluntas.

Hic proba te, mi Christiane! utrum forte somnus & remora Christi ad impatientiam te aliquando commoverit?

Si scripturas non nihil evolvimus, & sanctos Dei homines, hæc in parte deliquisse, deprehendimus. Exempla sunt, Hiob, c. 7. v. 13. David. Psalm. 88. v. 6. Jeremias, c. 15. v. 18. Habacuc, c. 2. v. 2.

Hoc adhuc hodie fit, quando afflictio longius durat, & auxilium differtur, ut impatientia nobis vel invitis obrepat. Sed gravissimum est peccatum. Nam in oratione Dominica nos Christus precari iussit: Fiat voluntas tua! Matth. 6. v. 10. At qui certus sumus, nihil fieri, aut fieri posse, sine voluntate Dei. Quapropter patienter eidem nos subijcere & cum Michæ dicere debemus: Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, Mich. 7. v. 9.

Josephus fratribus suis perfidis non statim manifestabat se, sed durius loquebatur cum illis, quamvis commota essent viscera ejus præ amore. Gen. 42. v. 7.

Sic verissimum est, Deum cor suum pateternum adversus fideles non mutare: atamen dissimulat interdum amorem & misericordiam erga nos, ut cogitare debeamus, nos quoque clamorem ejus diu vento tradidisse, quando nos ad poenitentiam invitavit, sicut de fratribus Josephi memoratur, quod conscientia eorum evigilaverit, quando Joseph duriuscule cum iis locutus est. Gen. 42. v. 21.

Ne vero socordes simus in precibus, sed Christum tam diu in clamemus, appellemus & executiamus, donec tandem è somno expergiscatur. *Ne desistas, donec accipias, ne recedas, donec invenias, ne studium pulsandi intermittas, donec fores recludantur,* inquit Chrysostomus Matth. 7. v. 7.

III. Di-

III. *Discipulorum timorem.* Cum enim Christus somno solutus audiret, quam meticulosos sese discipuli exhiberent, & cum maximo clamore, ploratu & ululatu vociferarentur, hic: Domine, serua nos perimus. Ille: Magister, non ad te pertinet, quia perimus? ut Marcus narrat c. 4. v. 38. Ille: Præceptor perimus Luc. 8. v. 24. Tum Christus ideo objurgat, & ait: Quid timidi estis, modicæ fidei?

Ita quidem cum nobis homuncionibus comparatum est, ut non penitus timorem excutere possimus, siquidem servator ipse Christus cepit contristari & mæstus esse, cum in monte olivarum cum morte luctari vellet, Matth. 26. v. 37. Sed ut ingenue dicamus, aliud quid hic timor post se trahit, nempe incredulitatem. Non enim modo dicit: Quid timidi estis, sed ut Marcus ait: *τίω;* timidi estis: & addit: Necdum habetis fidem? Marc. 4. v. 40.

Quare igitur te ipsum, mi Christiane! utrum etiam te tempore calamitatis & discriminis nimis meticulosum & pusillanimum exhibueris?

Constat nobis, timorem esse duplicem: servilem & filialem. Servilem declinare debemus, quia non est in charitate, 1. Joh. 4. v. 18. filialem vero cordi nostro implantare studeamus, est enim initium sapientiæ, Sir. 1. v. 16. Psal. 86. v. 12. Sed veluti hic discipuli quidem gratiæ & omnipotentia Christi recordantur, & tamen cum incredulitate concludunt: Serva nos perimus: sic etiam à nobis sæpe fit, ut ærumnis immergi, oremus quidem, sed non sine dubitatione, dum Christo tempus & modum præscribere non veremur, aut plane animis eadimus.

Hoc iniquum est. Non enim amittere

debemus confidentiam nostram, quæ magnam habet remunerationem, Heb. 10. v. 35. sed prætolemur cum silentio salutare Dei, quod bonum est, Thren. 3. v. 26.

Christus est pastor noster, & quidem pastor ille bonus, Joh. 10. v. 12. Hebr. 13. v. 20. Princeps pastorum, & Episcopus animarum nostrarum. 1. Petr. 5. v. 4. 1. Pet. 2. v. 25. Sicut itaque Pastor oviculæ periclitanti succurrit: Sic Christus nobis quoque in calamitatibus constitutis non deerit.

Scit ille tempus optimum,
Nobisque nullum dat malum,
Spes hæc reposta nobis.

Er weisß wohl wanns am besten ist /
Und braucht an uns kein Argelist /
Des sollen wir ihm trauen.

Christus est cælestis gallina, qui nos clamantes audiet, velut gallina pullos suos. Matth. 23. v. 27. Jer. 31. v. 20.

Est corde materno, imo plus quam materno in nos affectus. Esa. 49. v. 15.

Hic Medicus noster paratissimus est: ægrotos invisere, Exod. 15. v. 26. & eorum infirmitates sanare, Psalm. 103. v. 3. non cessabit.

Hic Præceptor aut Magister, non sinit sibi discipulos suos eripi, sed ut olim dicebat: Sinite hos abire, Joh. 18. v. 8. sic adhuc hodie salvum conductum ipsis imperit, qui ipsos tangit, pupillam oculi tangit. Zach. 2. v. 8.

Hic sponsus facile excitatur à sponsa sua, respicit enim orationem humilium, Psalm. 102. v. 18. *Cant. 5. v. 2. Hæc & sponse, ad autor p. 170. vil. d. sponse, ubi patet ex text. Hebr.*

Ne itaque timeatis dilecti! sed sanctificate Dominum Zebaoth, & erit vobis in sanctificationem, Esa. 8. v. 13. & dabit vobis iusto tempore, quod salutare erit animæ, Psal. 37. v. 4. Psalm. 145. v. 19. At non vult

L sibi

sibi præscribi tempus: sed ut omnia creavit numero, pondere & mensura, Sap. 11 v. 22. Sic tandem veniens veniet, & non tardabit. Hab. 2. v. 3.

De Secundo.

Accedemus nunc ad alteram partem, *ἡ ἡμετέραν*, sive notitiam Domini nostri Iesu Christi contemplaturi. Hic nobis proponitur in Evangelio hoc nostro:

I. *Tanquam navicula sue gubernator.* Navis scipsum gubernare non potest, sed habet gubernatorem & nauclerum suum, qui ad clavum sedet, & prudenter navem gubernat, ne in scopulos illidat & frangatur.

Nos quoque experientissimum gubernatorem habemus, cujus manum in mari pater ejus cœlestis posuit, Psal. 89. v. 26. Propterea naviculam suam non illidi aut submergi patietur, sed dabit inter fluctus semitam firmissimam, Sap. 14. v. 4. ne confundatur aut pereat, 2. Cor. 4. v. 9.

Ipsè novit justam *semitam*, in mari enim via ejus, & *semita* ejus in multis aquis, Psal. 77. v. 10. Novit, ubi *scopuli* delitescant, omnia enim sunt intime patentia oculis ejus. Hebr. 4. v. 13. Ipsè experientiam habet *ventorum*, eosque sub obsequio habet. Psalm. 18. v. 8. Ipsè *tempestatibus* adsuetus, quas passus est, tentatus, hinc potens est iis, qui tentantur, auxiliari, Heb. 2. v. ult. *Pyxidula nautica* est verbum Dei. Ad legem & testimonium, Esa. 8. v. 20. *Symbolum* sive *signum*, sunt Sacramenta, ut Baptismus & cœna Domini, sicuti expresse *σημεῖα καὶ τέρατα* sigilla justitiæ fidei vocantur, Rom. 4. v. 11. *Remiges* sunt verbi ministri; Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi, 1. Cor. 4. v. 1. ubi in Gr. est vox *ὑπηρέτης*, quæ remigem remigiis

adistentem quoque significat. *Vela* sunt, vera Dei invocatio, & præsertim crux, quæ naviculam impellit, ne à blandis mundi Syrenibus remorari se patiat, sed tendat ad destinatum scopum, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Phil. 3. v. 14. *Anchora* est spes, quam si habemus firmam, incedere usque ad interiora velaminis possumus, ubi præcursor pro nobis introivit Iesus, Heb. 6. v. 18.

Quod si itaque cum Christo navigamus, non est, quod naufragium pertimescamus: sed tandem ad portum cœlestis patriæ feliciter appellere possumus.

Cum *Columbus* novum orbem reperisset, post multa pericula, sociis tandem suis, qui moram diuturniorem ægre ferebant, animum addebat, exclamans. Terram video, terram video.

Multo magis nos, qui in impetuoso hujus mundi pelago navigamus, multisque periculis jactamur, dicamus: Cœlum video, cœlum video apertum, & Jesum stantem à dextris Dei, Act. 7. v. 36. vel cum Poeta:

Inveni portum, spes & fortuna valet,
Nihil mihi vobiscum est, ludite nunc alios.

II. *Tanquam periclitantium remator.* Hic Christum quidem tempestate surgente dormire audimus: at cor ejus vigilat tamen, & observat facta & gestus discipulorum, idco timidos vocat, ut pusillanimitatem cum tamè Christum secum in navicula habeant.

Adhuc hodie, quando Christus dormire videtur, ideo fit, ut fidem nostram probet, quæ optimus Christiani thesaurus est, qua Christum induit, ut in corde suo habitet, Eph. 3. v. 17. cujus virtute mundum vincere, 1. Joh. 5. v. 4. Satanæ resistere, & vitam æternam impetrare potest, Joh. 3. v. 16.

Quia

Quia vero multi sunt, qui de fide glori-
antur, & ore dicunt: Domine, Domine,
Matth. 7. v. 21. factis vero negant, Tit. 1. v.
16. aut ad tempus credunt, & in tempore
tentationis recedunt, Luc. 8. v. 13. Ideo
examen instituit Deus, ut qui probati sunt
manifesti fiant, 1. Cor. 11. v. 17. non qui-
dem respectu sui, qui corda & renes scruta-
tur, Jerem. 17. v. 10. & novit, quod in ho-
mine est, Joh. 2. v. 25. sed respectu no-
stri, ut infirmitatem nostram agnoscamus,
& cum Paulo in infirmitate gloriemur, quo
Christi virtus in nobis inhabitet, 2. Cor. 12.

Dolosum enim & arumnosum est cor
hominis, Jerem. 17. v. 9. *Dolosum*, si pro-
speræ fortunæ flatu utamur, Psal. 144. v. 12.
13. *At arumnosum*, quando fluctus tribu-
lationum insurgunt, & victus naviculam o-
perire aut submergere satagunt: tum enim
animis cadimus, & cum discipulis Christi
exclamamus: perimus! Ut hæc duo extre-
ma vitemus, Deus fidei examen instituit, ut
regia via incedentes, in prosperis non attol-
lamur, in adversis animum non abjiciamus.
Omnia enim, bona & mala, vita & mors, à
Deo sunt, Sir. 11. v. 14.

Scimus tamen, & certi sumus per Spiri-
tum Sanctum, quod non in æternum ira-
scatur Deus: sed in momento indignatio-
nis abscondat faciem suam parumper à no-
bis, Esa. 54. v. 8. Deinde vultum amabilem
rursus ostendit, conturbantur enim viscera
ejus super nos, Jerem. 31. v. 20.

Ideo per impatientiam ne desperemus,
sed animo tranquillo simus, cogitantes, De-
um fidelem esse, qui non patietur nos ten-
tari supra id, quod possumus, sed faciet et-
iam cum tentatione evasione, ut possimus
sustinere 1. Cor. 10. v. 13.

Et quando nos fatis in fornace tribulationis
probavit, tum quasi holocausti hostiam a-
cipiet nos, Sap. 3. v. 6. & in gaudium cœleste
introducet, ubi in signum victoriæ, palmas
in manibus gestantes, Deum celebrabi-
mus, propter omnia bona, quæ nobis in hoc
mundo exhibuit, Apoc. 7. v. 9.

III. *Tanquam maris & ventorum Impe-
rator.* Surgens enim imperavit ventis &
mari, & facta est *γαλήνη μεγάλη*, serenitas
magna. Quo indicatur, quod non modo
austeram illam tempestatem sedaverit: sed
cœli quoque serenitatem, & amabilem so-
lis lucem reduxerit.

Sic Servator noster Jesus, verus ille Ga-
lenus est (à *γαλῆνῃ* ridendo ita appellatus)
qui unico verbo motum maris, & ejus flu-
ctus sedare & sopire potest. Pater enim cœ-
lestis, omnia pedibus ejus subjecit, Psal. 8. v.
7. 8.

Si piscibus mandat, in rete se conferre, ut
capiantur, oportet, Joh. 21. v. 31.

Si avibus mandat, eas in magna frequen-
tia ad volare oportet, ut mactentur, assentur
& in cibum adhibeantur, Num. 11. v. 31.

Si igni mandat, vim flammæ reprimere
tenetur, Dan. 3. v. 22.

Si ferro mandat, aquis innatare, conveni-
ens est, 2. Reg. 6. v. 7.

Si soli mandat, cursum sistat, oportet, Joh.
10. v. 13. Summa: Ignis, grando, nix, fumus,
spiritus procellarum, faciant verbum ejus,
necesse est. Psalm. 148. v. 8. Hinc multoties
in Evangelicâ historiâ legimus, quod vel so-
lo nutu lepram, paralyin, febres, cœcita-
tem, hydropem, surditatem, imò mortem i-
psam curaverit. Dictum enim ejus est fa-
ctum. Psalm. 33. v. 9.

Nec tantum tempestates Jesus noster sedare, sed & aeris serenitatem & solis amabilem vultum reducere potest.

Jacobus Patriarcha diu ob amissionem filii lugebat & plorabat: sed tandem vicissim exhilarabatur, cum cum vivere audiret, Gen. 39. v. 45.

David integ. am decennium in exilio exulabat: tandem perveniebat ad regnum, 2. Sam. 1. v. 1.

Hiob opibus & sanitate orbis, tandem utriusque gaudio perfundebatur. Job. 1. v. 42.

Sic adhuc hodie, qui ei confidunt, è tribulatione eripiet, & glorificabit, Psal. 91. v. ult. Thren. 32. 33.

In vita æterna veniet, ἀληθινῶν, æterna serenitas & tranquillitas, cui nulli venti, procellæ & tempestates sese admiscebunt, erimus enim in habitatione pacis & in requie securitatis. Esa. 32. v. 18. Ibi replebitur risu os nostrum, & lingua nostra exultatione in æternum.

Largiatur id nobis ex gratia Deus pater, per filium suum Jesum Christum, Servatorum nostrum! Amen.



Dominica V. post Epiphantias.

Evangelium, Matth. 13. v. 24. -- 30.

EXORDIUM.

Cum Patriarcha Isaac, alienigena in Palæstina esset, serebat in terra illa, & inveniebat in ipso anno centuplum, benedicebatque ei Dominus. Ob hoc invadebant ei Palæstini, omnesque puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, obstruebant. Gen. 26. v. 12.

Hac in parte Patriarcha Isaac typus Christi fuit, qui etiam agriculturam suam habet, quæ est Ecclesia, 1. Cor. 3. v. 9. Semen est verbum Dei. Luc. 8. v. 11. Verbi ministri sunt cooperarii, 2. Cor. 6. v. 1.

Sicut itaque Isaac sevit, accepto centuplo fructu: Sic Christus quoque pertransiit Judæam & Galileam, & multas præclaras conciones habuit, non sine insigni fructu, turba libenter eum audivit, Marc. 12. v. 37. & mirati sunt in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, Luc. 4. v. 22.

Adhuc in hodiernum diem ministros suos mittit, qui sunt fideles animarum Pa-

stores, hos pergere oportet, ubi ipse incipit, & verbi divini semen seminare, mane & vespere, Eccles. 11. v. 6. oportune, importune, 2. Tim. 4. v. 2. ad præparationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Eph. 4. v. 12.

Quanto diligentior itaque seminator, & maturior messis est, quæ insequitur: tanto magis diabolus exacerbat. Et sicut Palæstini Patriarchæ Isaac invidentes, puteos obstruebant, quod largiter ei benedixerat Deus: sic diabolus omni conatu, incrementum seminis verbi divini impedit, & seminatore vitam acerbam efficit, ut gemens officium præstet. Hebr. 13. v. 17.

In prælecto Evangelio, zizania in medio tritici inveniri, audimus. Quando vero servi patrem familias querunt, unde habeat? Respondet ipsis: Inimicus homo hoc fecit: nempe inimicus diabolus, coram quo gaudet mœrere, Job. 41. v. 13.

Nos